

8/7606



## OKLEVELEK A PAPAI LEVÉLTÁRAKBÓL.

(Függelékül a »Nyomozások a pápai levéltárakban« című s a Századok f. évi II. és III. füzeteiben közlött cikkekhez.)

I. 1344. augusztus 26.

*VI. Kelemen pápa András nápolyi királynak.*

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Presentate nobis tue celsitudinis litere, corporalem infirmitatem, qua carissima in Christo filia nostra Johanna regina Sicilie illustris consors tua gravata multipliciter hiis diebus preteritis fuerat et afflita, et subsequenter restitutam sibi sanitatem a domino describentes, super infirmitate ipsa paterne compassionis amaritudinem et restituta sanitatem letitiam nostris precordiis ministrarunt, sed non modicum ipsum auxit letitiam cordi nostro, quod de unitate caritatis et concordie vigente, sicut ipsius caritatis et rationis exigit debitum, inter te ac eandem reginam ultima literarum ipsarum clausula subiungebat. Sane fili carissime, quia talis concordia multum est deo placabilis et discordia displicibilis et exosa, tuam exhortamur excellentiam attentius in domino et rogamus, quatenus consideranter et prudenter attendens, quod ex tua et eiusdem regine, quorum negotia sunt, ut in predictis adiecisti literis, indivisa unitatis et amoris concordia tu et ipsa totaque domus regia, et status regni successibus prosperabimini continuis, et ex odiosis dissensionibus, si quod absit ab illo, qui est sator malorum omnium, permitterentur nutritri quomodolibet vel foveri, preter offensam divinam et subditorum summe vitandum et cavendum contemptum, qui procul dubio generaretur exinde, varia, que faciliter non possent estimari, dispendia provenirent, huiusmodi caritatis et unitatis concordiam mutuam, sicut tui et sui status decet excellentiam et honorem, quibusvis contrarium suggestentibus tanquam hostibus, detractoribus et emulis per te reiectis penitus et expulsis, confovere constanter et inviolabiliter studeas et etiam observare. Datum apud Villanovam Avignonem. diocesis VII. kal. Septembris anno tertio.

(Vatikáni levéltár. Regesták 138-ik kötet 239-ik szám.)

II. 1344. a u g u s t u s 26.

*VI. Kelemen pápa Johanna nápolyi királynénak.*

Johanne regine Sicilie. Serenitatis tue, filia carissima, litere nuper nostro apostolatui presentate, infirmitatem gravem, qua visitante te misericordiarum domino, gravata fueras hiis diebus preteritis multipliciter et afflita, nec non et liberationem ab eadem infirmitate felicem tibi collatam a domino describentes, simul paterne compassionis super afflictione huiusmodi amaritudinem, et restituta sanitate consolationis et leticie materiam nostris precordiis ministrarunt. Sane, filia dilectissima, quia te gerentes in visceribus caritatis per viam salutis iuxta divinum beneplacitum dirigi cupimus actus tuos, tuam excellentiam attentius in domino exhortamur, quatenus ad eum, qui sperantes in se non deserit, dirigens in omnibus vota tua, non solum super restitutione sanitatis, sed etiam visitatione predicta per quam tibi dilectionis signum ostendit, cum corripiat, castiget et flagellet quos diligit, eidem ad devotas et humiles gratiarum actiones assurgas, que sue majestatis oculis grata esse cognoveris, ut de manu ipsius alia inennarrabilia bona merearis accipere, iugiter operando, certam de nobis fiduciam habitura, quod nos super tuis oportunitatibus propicios reperies, quantum cum deo fieri poterit et benignos. Ceterum cum aliquibus tuis gentibus harum partium scripseris, sicut nobis earum grata relatio pate fecit, quod inter carissimum in Christo filium nostrum Andream regem Sicilie illustrem virum tuum, qui tibi summe dilectionis affectum in predicta infirmitate ostenderat, et te plena iugiter sicut caritatis exigit debitum concordia coniugalis nos exinde leti, eiusdem regis et tuam prudentiam super hiis multipliciter in domino commendantes, exhortationibus nostrisadicimus, tibique paterno consilio suademus, ut prudenter et consideranter attendens, quod talis concordia deo est valde placibilis et inter sic coniunctas personas discordia displicibilis et exosa, et nihilominus quod ex illa tua et ipsius regis indivisa negotia totaque domus regia et status regni successibus prosperabimini continuis, et ex ista si permitteretur ab illo, qui est sator malorum omnium, foveri, quod absit, preter divinam offensam, et subditorum summopere vitandum et cavendum contemptum, qui procul dubio generaretur exinde, varia, que faciliter non possent extimari, dispendia provenirent, mutuam huiusmodi caritatis et unitatis concordiam, sicut tui et sui status decet excellentiam et honorem, quibusvis contrarium suggestentibus tanquam hostibus, detractoribus et emulis per te reiectis penitus et expulsis, confovere constanter, et inviolabiliter studeas et etiam conservare. Dat. apud Villanovam Avinionen. diocesis VII. kal. Septembris anno tertio.

(Vatikáni levéltár. Regesták. 138-ik kötet 240 ik szám.)

III. 1344. December 18.

*VI. Kelemen pápának Johanna nápolyi királynéhoz intézett levele.*

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Quia te, filia in Christo carissima, regnumque tuum interne caritatis et dilectionis specialis favore prosequimur, intensis optamus desideriis te ac regnum ipsum votivis et felicibus successibus prosperari, propter quod illa, que tuis honoribus et commodis ac prospero eiusdem regni regimini credimus expedire, tanto tibi libentius scribimus et paterna diligentia suademus, quanto tue celsitudinis prudentia ea suscipere devotius credimus, et efficacius perducere in effectum. Cum itaque carissimi in Christo filii nostri Andree regis Sicilie illustris viri tui honor et status honorabilis in te procul dubio refulgeant, et in tui honoris augmentum cedere dinoscantur, excellentiam tuam rogamus et hortamur regiam paterno sanoque consilio tibi suadentes, quatenus eundem regem virum tuum semper habeas in reverentia et honore, ipsum a regimine aliisque actibus, que sui ac tui status decent excellentiam, dummodo in tuum ac heredum et successorum tuorum nequeat futuris temporibus redundare preiudicium, nullatenus excludendo. Non enim convenit, quod vir, qui caput est uxoris, ab illis, que utriusque honorem et commodum promovent, repellatur, sic te prudenter et provide super hiis et eorum circumstantiis habitura, quod tuo et suo honore in hac parte servato illeso, amoris et caritatis vinculum et etiam idemperitas voluntatum, sicut decet et expedit, inter vos invicem absque violatione qualibet persistant firmiter et remaneant inconcussa, summopere precavendo, ne lingua tertia, que confederatos consuevit disiungere, quomodolibet inferat huiusmodi amoris et unitatis federi nocumentum. Placilibus quidem relatibus frequenter audivimus et audimus, quod idem rex vir tuus, qui sicut nosti ab illustribus parentibus et prosapia regali descendit, iuvenis existit bone indolis, ingenii virtuosi, ac elegantis circumspectionis et industrie, prout etas ipsius patitur, inherendo progenitorum suorum vestigiis, morum venustate resplendens, ex quibus manifeste ostenditur, quod divina sibi assistente gratia virum strenuum producere debeat, et multipliciter virtuosum. Rursus quamvis super assumendis et assumpptis retinendis consiliariis pro regni et terrarum tuorum gubernatione utili, certa in literis nostris super dimissione administrationis eorundem regni et terrarum per nos tibi pro tempore, quoad nos spectabat ulterius de gratia speciali concessa, confectis contineantur expresse, nostre tamen intentionis existit, quod illis non obstantibus ad divisiones seu emulationes, que oriri possent forsitan propter receptionem consiliariorum, huiusmodi utiliter evitandas, et suscitatas nihilominus sopiendas et regantur subditi

sub cultu fidelitatis et pacis, de partibus regni et terrarum predictorum consiliarios fideles et idoneos, qui deum timeant, iustitiam diligent, malitiam et avaritiam odiant, et lucra propria in tuum vel aliorum dispendium non venentur, assumas, si prout et quando extiterat oportunum et cum dilecti filii nobilis viri Philippi de Sangineto comitis Altifluminis circumspectionem et prudentiam, dum nos haberet status inferior et etiam postquam fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, noverimus, probabiliter estimamus, quod inter ceteros consiliarios tuos de illo potest tua sublimitas gerere fiduciam specialem. Demum serenitatem tuam volumus non latere, quod si circa premissa et alia salubre ac laudabile regimen regni et terrarum predictorum tangentia te prudenter utiliter et mature, ut in domino speramus, et ferventer optamus gessisse ac gerere audiverimus, leti efficiemur exinde quamplurimum, tibique gratiis et favoribus oportunis, quantum cum deo fieri poterit, assistemus. Alias autem si contrarium perciperemus, quod absit, providere super hoc, sicut ad nos pertinere dinoscitur, de aliis oportunis remediis curaremus. Datum Avinione XVIII. kalendas Januarii anno tertio.

(A vatikáni Itárban. Clementis VI. Secret. Regest. Anni III. Vol. 138. Ep. 582.)

IV. 1345. január 30.

*VI. Kelemen pápa András nápolyi királynak és Johanna királynénak.*

Carissimo in Christo filio Andree regi Sicilie illustri. Paterne caritatis et singularis dilectionis affectus, quibus te ac carissimam in Christo filiam nostram Johannam reginam Sicilie illustrem consortem tuam prosequimur, incessanter stimulat mentem nostram, ut circa illa promovenda, que tui et eiusdem regine honoris et salutis incrementa rescipiunt, et vitanda, que illis sunt obvia, cogitare attentis solicitudinibus non cessemus. Sane quia super quibusdam premissa non parum tangentibus, que hiis diebus ad nostram notitiam fidedignis relatibus sunt deducta, tibi, carissime fili, et eidem regine, obsidente locorum distantia, loqui personaliter sicut affectaremus ferventer, si foret possibile non valemus, ecce quod venerabilem fratrem nostrum Guillemum episcopum Carnotensem apostolice sedis nuncium, de quo velut familiari nostro probato per nos diutivis temporibus plenissime confidimus, ad te dictamque reginam ut nostre vocis organum destinamus, tuam celsitudinem attentius deprecantes, tibique paterno et sano consilio suadentes, quatenus ipsum tanquam ex ore nostro loquentem plene audias et intelligas super hiis, que pro parte nostra tue celsitudini duxerit explicanda, eaque sic realiter effectui studeas mancipare, quod pater de prudentia et devotione filiali letus efficiatur merito, et ad promovenda filii

honores et commoda promptius et ferventius incitetur. Datum Avinione III. kal. Februarii anno tertio.

Item in eundem modum eidem regine verbis competenter mutatis. Datum ut supra etc.

(Vatikáni levéltár. Regesták 138-ik kötet 756, 757-ik szám alatt.)

V. 1345. j u n i u s 10.

*VI. Kelemen pápának Johanna királynéhoz intézett levele.*

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Ad tui filia carissima honoris et status incrementa felicia sinceris et paternis affectibus aspirantes, super recipiendis una cum carissimo in Christo filio nostro Andrea rege Sicilie illustri viro tuo coronationis et inunctionis solenniis, cessante cunctatione morosa, que reprehensibilis procul dubio reputaretur ulterius, tibi nostras alias exhortatorias literas destinamus. Sane quia paterne studio diligentie pro te filia dilectissima consilium capere cupimus super hiis magis sanum sepius intra nostra precordia, quid tibi et eidem regi esset expedientius, venire videlicet ad nostram presentiam, et de manibus nostris, vel ab alio de mandato nostri in illis partibus recipere solennia huiusmodi revolventes, labores et sumptus proveniendo necessarii nostre considerationis intuitum quandoque retrahebant abinde, sed tuus et eiusdem viri tui honor, qui si solennia ipsa receperitis, a nobis sine dubio maior esset, nec non multa salubria et utilia, que pro te regnoque tuo te presente nobiscum tractari possent et perfici, ad hoc vertunt rationabiliter mentem nostram, quibus omnibus et aliis, que nobis in hac parte possunt occurrere matura consideratione pensatis, et attento nihilominus diligenter, quod honor et commoda huiusmodi prevalere poterunt, sicut indubitanter credimus laboribus et sumptibus supradictis, in hoc resedit eiusdem deliberatio mentis nostre, melius expedientius et utilius omnibus compensatis existere, quod tu et rex prefatus ad eandem presentiam recepturi coronationem et inunctionem huiusmodi veniatis. Quocirca regiam rogamus excellentiam et in domino attentius exhortamur, sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ad hoc ut citius comode fieri poterit effectualiter te disponas. Sane quia vox viva magis quam mortua imprimere cordibus consuevit nos, qui te tuumque regnum predictum intra nostra precordia sincere dilectionis et paterne caritatis affectui gerimus, dilectum filium magistrum Johannem de Jaurens capellanum nostrum, causarum nostri palatii auditorem, virum utique fidelitatis et probitatis constantia, literarum scientia, et discretionis maturitate conspicuum, de intentione nostra plenarie super hiis informatum ad tue celsitudinis presentiam destinamus, quem cures audire super hiis et aliis, que tibi pro parte nostra expli-

canda verbotenus duxerit, sibique fidem credulam adhibere. Datum apud Villanovam Avignonem. diocesis IIII. idus Junii anno quarto. (A vatikáni Itárban. Clementis VI. Secret. Regest. Anni IV. vol. 139. Ep. 93.)

VI. 1345. junius 10.

*VI. Kelemen pápának Johanna királynéhoz intézett levele.*

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Placibiliter admodum audivimus, quod inter te filia carissima, et carissimum in Christo filium nostrum Andream regem Sicilie illustrem virum tuum mutue caritatis et dilectionis vinculum viget; etiam amplius solito, et amor deo gratus quamplurimum incrementis felicibus iugiter invicem magis crescit, que quidem tanto uberius interiora profundunt rore letitie cordis nostri, quanto desiderabilius et avidius de statu tuo et regni tui felices optamus audire rumores. Sane quia inter cetera, que statum predictum promovere, confovere et augere possunt prosperum et felicem, huiusmodi caritatis et dilectionis unitas et concordia, ex quibus preter alia inennarrabilia spiritualia et temporalia comoda secuntur procul dubio timor, honor et reverentia subditorum utiles existere dinoscuntur, et ad eas solidandas fortius esse credamus admodum oportunum, quod ad administrationem regni tecum admitteretur honorabiliter rex predictus, serenitatem tuam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, sano paternoque tibi nichilominus consilio suadentes, quatenus premissa de bono semper in melius, assistente tibi divina gratia, continuant et adaugent, quemcumque, qui tibi contrarium suggereret vel etiam suaderet, directe vel indirecte, publice vel occulte cuiuscumque conditionis vel status existeret, cum tanquam dei et tuum hostem venenosum et nefandissimum, tueque salutis et honoris detractorem et persecutorem atrocissimum nulla tenus sibi accommodando auditum obicias totaliter et repellas. Speramus equidem in domino, quod si premissa feceris et observaveris, ut optamus, figendo in eo anchoram spei tue teque in piis operibus exercendo, ipse, qui nunquam cessat a benedictionibus gratiarum, non solum fecunditate letabunde prolis, sed aliis bonis spirituibus et temporalibus innumeris, plusquam ab eo scires, vel posses petere, te ditabit. Et quia vox viva magis quam mortua imprimere cordibus consuevit, nos, qui te tuumque regnum predictum intra nostra precordia sincere dilectionis et paterne caritatis affectu gerimus, dilectum filium magistrum Johannem de Jaurens cappellanum nostrum, causarum nostri palatii auditorem, virum utique fidelitatis et probitatis constantia, literarum scientia, et discretionis maturitate conspicuum, de intentione nostra plenarie super hiis informatum ad tue celsitudinis presentiam destinamus, quem cures audire super hiis et aliis, que

pro parte nostra explicanda verbotenus duxerit, sibique fidem credulam adhibere. Datum apud Villanovam Avinionensis diocesis IIII. idus Junii anno quarto.

(A vatikáni Itárban. Clementis VI. Secret. Regist. Anni IV. Vol. 139. Ep. 94.)

VII. 1345. j u n i u s 11.

*VI. Kelemen pápa Johanna nápolyi kirdlynénak.*

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Sicut tua filia carissima prudentia non ignorat, nos dudum tuis et carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici regis, et Elisabeth matris sue regine Ungarie illustrium ac nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum, nec non dilectorum filiorum nobilium virorum baronum regni tui multiplicatis precibus et instantiis nobis porrectis literaliter et per solennes nuncios ad nostram presentiam propterea destinatos, tam in camera, quam consistoriis nostris, elegantibus propositionibus sepius recensitis et fultis, inter cetera continentibus, quod cum carissimus in Christo filius noster Andreas rex Sicilie illustris vir tuus tecum existeret una caro, ut convenientius, decentius, utilius et honorabilius tuo et suo provideretur statui, tantique tui et sui coniugii et numerose proles ex ipso coniugio, sicut a domino petimus, procreande consuleretur honori, eundemque regem virum tuum insignire denominatione ac honore tituli regii, et ordinare nihilominus, quod una tecum tanquam vir tuus coronari et inungi deberet, dignarremur, de benignitate apostolica favorabiliter annuentes. Nos tandem deliberatione provida et matura cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus prehabita, et de ipsorum consilio certis protestationibus et cautelis adhibitis, in aliis literis nostris contentis, memoratum regem denominatione et honore predictis insignivimus, et nihilominus ordinavimus, quod coronari et inungi deberet sicut premissum est una tecum. Sane quia tibi tuisque statui et honori filia dilectissima non ambigimus expedire, quod huiusmodi coronationis et inunctionis solennia simul una cum eodem rege viro tuo recipere debeas, et ad receptionem eorum quantum comode poteris festinare, cum honoris huiusmodi tandiu protacta dilatio multis admirationis materiam ingesserit sicut intelleximus, et ingerere non desistat, certum quidem et celebri memoria retinetur, quod recordationis inclite reges Sicilie progenitores tui in sui regiminis primordiis nolentes diutius carere honore debito, statum solii regii decorante non modicum et etiam roborante ad recipienda huiusmodi coronationis et inunctionis solennia, que ad status regii perfectionem pertinent, solerti et avida diligentia festinarunt, sicque videtur et visum est hactenus de regibus aliis, et illis etiam, qui sunt ad statum

pontificalis dignitatis assumpti, quod illa, que ad honorem, decorum et fulcimentum status sui faciunt, non negligunt, sed ad illa percipienda se celeriter preparant et disponunt, ideoque tuam excellentiam regiam exhortamur in domino sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ad huiusmodi coronationis et inunctionis recipienda una cum eodem rege viro tuo solennia, cessante cunctatione morosa, que reprehensibilis iudicaretur procul dubio, te prepares et disponas et si forsitan aliquis tibi suaserit vel suaderet, quod eadem solennia simul cum eodem viro tuo non reciperes, tanquam suasioni perverse, ac tuis et regni tui predicti honoribus et statui contrarie non modicum et nocive, nullatenus acquiescas, sed ab illa totaliter removeas mentem tuam. Scitura filia predilectissima, quod si forsitan, quod absit, receptionem solennitatis eiusdem differres ulterius, vel forsitan non curares, nos qui sicut nosti regem predictum virum tuum ad tui supplicationem coronandum et inungendum ordinavimus ut prefertur, negare sibi cum decentia et honestate nostra nequibimus, quominus sui ac predictorum regis et regine Ungarie nunciis apud nos instantibus super hoc, eidem coronationem et inunctionem impendamus huiusmodi vel faciamus impendi. Demum quia vox viva magis quam mortua imprimere cordibus consuevit, nos qui te tuumque regnum predictum intra nostra precordia sincere dilectionis et paterne caritatis affectu gerimus, dilectum filium magistrum Johannem de Jaurens capellatum nostrum, causarum nostri palatii auditorem, virum utique fidelitatis et probitatis constantia, literarum scientia et discretionis maturitate conspicuum, de intentione nostra plenarie super hiis informatum, ad tue celsitudinis presentiam destinamus, quem cures audire super hiis et aliis, que tibi pro parte nostra explicanda verbotenus duxerit, sibique fidem credulam adhibere, ac nobis per ipsum rescribere tue intentionis et voluntatis propositum in hac parte. Dat. apud Villamnovam Avignonem. diocesis IIII. idus Junii anno quarto.

(Vatikáni levéltár. Regesták. 139-ik kötet 92-ik szám.)

### VIII. 1345. a u g u s t u s 5.

#### *VI. Kelemen pápának Johanna királynéhoz intézett levele.*

Carissime in Christo filie Johanne regine Sicilie illustri. Placilibus admodum relatibus dilecti filii nobilis viri Roberti de Sanctoseverino, comitatus Coriliani domini, percepimus exultanter, quod tu filia carissima, et carissimus in Christo filius noster Andreas rex Sicilie illustris vir tuus, circa ea, que honorem status vestri, et regni prosperitatem respiciunt, sedulis studiis intendentes, tam procerum dicti regni, quam aliorum virorum peritorum et deum timentium consiliis et directionibus

adheretis. Nos igitur tuam et eiusdem regis circumspectionem providam admodum utique nobis gratam, multipliciter in domino commendantes, rogamus excellentiam regiam et hortamur, quatenus premissa sic prudenter et mature continuare proores, quod status predictus votivis successibus iugiter dante domino sicut desiderabiliter appetimus, tibique super hiis paternis assistere intendimus, favoribus prosperetur, prefatum nobilem tui honoris et comodi fervidum relatorem recommendatum favorabiliter nichilominus habituri. Datum Avinione nonas Augusti anno quarto.

(A vatikáni Itárban. Clementis VI. Secret. Regist. Anni IV. Vol. 139. Ep. 214.)

IX. 1375. november 1.

*XI. Gergely pápának magyarországi követéhez intézett levele.*

Venerabili fratri Guillermo episcopo Senensi salutem etc. Licet nobis displicenter sumimus, quod isto tempore ecclesiam tuam linqueris seu multum absentaveris te ab ea; quia tamen speramus, quod super statu dilecti filii nobilis viri Caroli de Duratio ducis Dalmatie, ad quem sincerum habemus affectum, tribues auxilium et iuvamen et pro Romana ecclesia cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico rege Ungarie et carissimis in Christo filiabus nostris reginis Ungarie illustribus favente deo multa bona poteris operari, sumus de huiusmodi absentatione contenti. Sciat igitur eadem fraternitas, quod idem rex, qui sepe seduci asseritur pravis suggestionibus malignorum ex eo, quo de ecclesia \*) sua non habuit voluntatem, licet ipsi ecclesie non de persona extranea, sed ungara sed sibi fideli atque devota videlicet fratre sui fidelissimi servitoris dilecti filii nobilis viri Petri Zuder bani Sclavonie et de quibusdam aliis ecclesiis et beneficiis suorum regnum, que omnia vult dari ad velle suum graviter, sed indebito salvo honore regio contra nos extitit perturbatus, et tam nobis quam quibusdam de nostra curia scripsit valde melancolicas literas tenore presentibus inclusorum et in huiusmodi melancolia adeo usque-quoque permansit, quod nec bonum factum nec bonum verbum pro dicta Romana ecclesia habere potuimus ab eadem, et in estate proxime preterita taliter dispositus status hostium ipsius ecclesie, quod cum non nimis grandis eiusdem regis auxilio prefata ecclesia de dictis hostibus triumphasset. Quare te hortamur actente mandantes, quatenus cum interventione predictarum reginarum necnon prelatorum ac iam dicti Caroli aliorumque nobilium ac consiliariorum proborum eiusdem regis, de quibus circumspectioni tue videbitur, memoratum regem a dicta turbatione, que nocet anime sue et ecclesie memorate, regimini, honorique regio derogat, tua consueta prudentia revo-

\*) A név ki van hagyva.

care et ad devotionem antiquam reducere toto tuo posse teneris, dicturus eidem ac aliis supradictis, quod non est princeps in mundo, cui tantum complaceamus de ecclesiis cathedralibus et aliis beneficiis sicut ipsi regi ac sibi et suis, que honeste possumus, non negamus, imo concedimus gratiose. Sed e contra in suis regnis nimis habemus de obedientia in provisionibus ecclesiarum et monasteriorum ac collactionibus beneficiorum ac etiam de subsidiis et decimis, quam in aliquo regno mundi et in omnibus vel multis ecclesiis et monasteriis incipit pretendere, licet minus debite, sed sicut sibi a multis suggeritur ius patronatus habere. Et non est rex etiam quantumcumque vicinus, qui ita de omnibus ecclesiis et beneficiis sui regni vacantibus et vacaturis nobis scribat ita frequenter, sicut rex memoratus et cum pro hiis alii reges scribunt, si eis non complaceamus. tollerant patienter. Ceterum de negotio florentinorum eidem regi scribimus secundum tenorem presentibus interclusam et ut de hiis, que dictis florentinis ad eorum malitiam convincendam scribimus, sis informatus plenarie copiam nostre litere inclusam presentibus destinamus. Ideoque super hoc quicquid boni poteris solicite opereris et de hiis et omnibus aliis nobis rescribere sepius non postponas. Datum Avinione kalendis Novembbris anno quinto.

(A vatikáni Itárban. Gregorii XI. Secret. Regist. Anni V. Vol. 211. fol. 68.)

#### X. 1375. n o v e m b e r 1.

##### *XI. Gergely pápának Erzsébet királynéhoz intézett levele.*

Carissime in Christo filie Elizabet seniori regine Ungarie salutem etc. Reginalibus literis et supplicationibus (per) venerabilem fratrem nostrum Thomam episcopum Corbaviensem nobis exhibitis paterna benignitate receptis et visis ac eodem episcopo sepius benigne auditio illa libenter ex eis concessimus, que secundum deum vidimus concedenda dictumque episcopum, qui hec fideliter et diligenter prosecutus fuit, meritorum suorum et tue serenitatis intuitu credentes in hoc tibi et etiam carissimo in Christo filio nostro Ludovico regi Ungarie illustri nato tuo specialiter complacere, Corbaviensi ecclesie tunc vacanti de fratum nostrorum concilio nuper prefecimus in episcopum et pastorem. Verum quia inter supplications easdem una videtur esse potissima et tuis maternis precordiis magis infixa, videlicet ut prefatum regem, cuius devotionem ab infantia sua ad apostolicam sedem habitam et gesta magnifica pro fide catholica in dictis tuis supplicationibus, licet nobis nota existerent, in genere narravisti et supplicasti reverenter, ut nos ipsum regem potioribus favoribus apostolicis prosequentes et brachiis cordialis dilectionis complectentes eum in suis agendis licitis dignaremur gratiosius exaudire, eidem serenitati respondemus, quod ipsum regem ob de-

votionem et gesta huiusmodi ac considerationem sui illustrissimi generis Francie et Sicilie, cum quo Romana ecclesia ab antiquis temporibus preteritis orbis principibus est coniuncta, connexias specialiter habuimus prout habemus in intimis visceribus, prefatamque ecclesiam in suis oppressionibus sperantes per eius clipeum defensari sue subventionis et protectionis auxilium non solum sibi possibile, sed satis facile in magnis necessitatibus dicte ecclesie contra eius et dicti generis hostes sepe et confidenter duximus requirendum. Sed licet ipse rex pie intentionis existat, tamen iniquis et malignis suggestoribus prevalentibus apud regiam puritatem, illud licet olim ex certis specialibus servitiis dicte sedis felicis recordationis Urbano pape quinto predecessori nostro liberaliter promissum nequivimus obtinere, propter quod memorata ecclesia ex guerris dictorum hostium fuit prout est fatigata quamplurimum et merito veretur periculum status sui. Pretendit autem rex prefatus, quod eum in quibusdam provisionibus ecclesiarum cathedralium et gratiis quorundam beneficiorum ecclesiasticorum volumus exaudire et narrat in quadam sua litera uni ex fratribus nostris directa ea, que de suis petitionibus non concessimus, sed non narrat, que duximus concedenda, cum sine operatione sint plura. Certe veritatem credimus dicere, quod nullus alias rex vel princeps tantum quantum ipse rex fuit suis temporibus per nos et predecessores nostros Romanos pontifices in suis supplicationibus exauditus et si interdum non exaudivimus eum ex bonis considerationibus, hoc fecimus providendo dignioribus personis vel providere credendo et de regnis suis ut plurimum oriundis, unde tua discreta devotio dignetur attendere, si est decens et expediens universalis ecclesie, quod omnia prelature dignitates et beneficia, in quibus dicta sedes meram et plenam a deo potestatem obtinet, ad beneplacita principum et aliorum dominantium concedantur. Hec enim non catholici reges sed tiranni faciunt, quorum exemplum perniciosum et damnabile ipsi regi per aliquos detestabiles reges successores, ut audivimus, allegatur. Advertas etiam, si super hiis omnia dicti regis beneplacita curaremus adimplere, quale inde exemplum aliis regibus et principibus preberetur, quibus oporteret nos et successores nostros Romanos pontifices aut facere simile, quod absit, quia non expediret fidei christiane, aut ipsorum regum contra apostolicam sedem periculosa turbatio oriretur. Quare pietatem tuam, quam tanquam in timore dei firmatam credimus honesta et rationabilia cupere et contraria execrari, quanto cordialius possumus deprecamur, quatenus premissa et alia circa hec actendenda devota mente considerans prefatum regem ad radendum totaliter de corde suo turbationem, quam contra nos et dictam ecclesiam, cuius est filius

specialis, non suo motu cum sit sincerus et purus, sed ex malis suggestionibus concepisse videtur, studeas maternis suasionibus revocare ad antiquamque devotionem et affectionem ecclesie memorate reducere et ab indebitis cessare querelis, suggestores huiusmodi, qui detrimentum suorum salutis ac honoris et fame suscitare presumunt, aut compescendo, ut cessent a talibus, aut eminus propellendo eumque inducas, ut id, quod omisit erga dictam ecclesiam de favendo sibi oportunis verbis et factis, cum adhuc eius auxilium sit ipsi ecclesie necessarium sicut nunquam, supplere dignetur. Terror enim sue potentie cum ipse voluerit multum valebit ipsi ecclesie et reddit actonitos hostes eius. Nos siquidem et apostolica sedes semper parati erimus pro ipso suisque natis et regnis favores gratias et auxilia possibila tanquam nobis specialiter acceptis et caris paternis affectibus impertiri. Ceterum eundem regem velis inducere, ut illos, quos dicta sedes iam promovit vel promotebit pro tempore ad ecclesias cathedrales, monasteria dignitates et alia beneficia ecclesiastica suorum regnorum, nolit impedire in possessione ac regimine et perceptione proveniendum suorum ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum huiusmodi nec favere occupatoribus et impeditoribus quibuscumque, quia hoc non debet facere nec faciunt alii reges nec principes christiani, quin imo eosdem promotos ob reverentiam dicte sedis tractet favorabiliter et benigne, ut deus, qui prosperavit eum in ampliatione regnorum atque victoriis et filiabus in prole masculina, quam credenter consideramus, prosperare dignetur. Alioquin si contra iussa divina et sacrorum canonum se de talibus modis et violentiis intromittat, vindictam dei debet merito formidare. Dat. Avinione VI. idus Decembris anno quinto.

(A vatikáni levéltárban. Gregorii XI. Secret. Regist. Anni V. vol. 211. fol. 82.)

XI. 1375. decembe r 4.

*XI. Gergely pápának Lajos királyhoz intézett levele.*

Carissimo in Christo filio Ludovico regi Ungarie illustri salutem etc. Ad illa te fili carissime libenter inducimus ac precibus exhortamur, que pietatem sapiunt teque in conspectu regis eterni reddere valeant gratiosus. Cum itaque dudum de persona dilecti filii Pauli abbatis monasterii sancti Martini de sacromonte Pannonie ordinis sancti Benedicti Iauriensis diocesis tunc vacante et antea dispositioni apostolice reservato duxerimus providendum, preficiendo ipsum eidem monasterio in abbatem et sicut displicenter accepimus, nonnulli dictum Paulum abbatem impedian, quominus possessionem administrationis bonorum dicti monasterii assequi valeat et habere ac dilectus filius Gregorius Iohannis canonicus Senadiensis, qui nonnullas literas nostras in favorem dicti abbatis tibi

et nonnullis aliis directas secum deferebat, per huiusmodi adversarios dicti abbatis in predicto monasterio cum literis ipsis sit captus et detentus, excellentiam regiam rogamus et hortamur in domino — actentius deprecantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia et etiam pietatis et salutis intuitu prefatum canonicum restitui facias atque mandes pristine libertati prefatum, que abbatem sic, prout plene confidimus, habere velis favorabiliter commendatum, quod ipse magnificentie regie fultus presidio prefatum monasterium et ipsius bonorum possessionem pacificam assequi valeat, nosque proinde sinceram devotionem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione II. nonas Decembbris anno quinto.

(A vatikáni Itárban. Gregorii XI. Secret. Regist. Anni V. vol. 211. fol. 160.)

### XII. 1410. május.

*Zsigmond királynak XXIII. János pápához intézett előterjesztése.*

Brevis nota eorum, que petuntur pro parte domini regis extendenda et ordinanda in minutis cum stilo et forma oportunis formis effectibus suis.

Primo, cum serenissimus et christianissimus princeps dominus Sigismundus, dei gratia rex Hungarie, Dalmacie, Croatie etc. et sua domus hactenus indebite receperint multas graves iniurias a certis summis pontificibus, ne in futurum similiter posset occurrere, petitur pro parte dicti domini regis a sancto patre domino summo pontifice taliter pro se et successoribus declarari et per bullam et rescriptum ordinari, quod dictus dominus rex et alii de sua domo sint a talibus plene securi et de talibus non habeant dubitare.

Et idem fiat per literas dominorum cardinalium sigillatas sigillis trium priorum pendentibus.

Secundo, quod, maxime considerata antiqua consuetudine et quod dominus rex suique precessores est et fuerunt patroni ecclesiarum, et quod beneficiati regni pro maiori parte sunt in regno potentes, et si non essent confidati, possent statum suum ponere in periculo, prout iam fecerunt, quod dominus papa concedat dicto domino regi et suis successoribus, quod ipsa beneficia possint conferre, et eos, quibus collata fuerint, dominus papa debeat confirmare, aut saltem quod dominus papa ipsa conferat solummodo illis, de quibus dominus rex scribet nominatim et non alio vel aliis, eo in predictis declarato, quod debitum camere apostolice realiter persolvatur. Et si qua iam collata fuissent sine speciali scripto aut consensu regis, revocentur et maxime, que presumi debent per surreptionem impetrata.

Tertio, quod cum aliqui ex prelatis regni fuerint infideles dicto domini regi et aperte fuerint contra statum suum et de ipsis rex non possit confidere, dominus papa illos transferat ad alia extra regnum, et inde eos privet et removeat, et beneficia conferantur nominando per regem vel per dominum spanum eius commissarium; et predicti infideles nominabuntur domino pape.

Quarto, cum dictus dominus christianissimus rex scutum singulare et pugil pro fide, et continue pugnat et pugnare intendat cum infidelibus propter defensa christianitatis, et occurrerit aliquos ex christianis, quandoque iniuriam fecisse dicto domino regi, maxime quando sciverint ipsum et gentes suas esse in expeditione pugne, et occupatas contra infideles, quandocumque contigerit aliquem vel aliquos ex christianis facere ad presens vel in futurum dicto domino regi in dicto regno vel aliqua eius parte aliquam iniuriam vel molestiam, dominus papa debeat toto posse quemlibet talem facere astinere et compesci per monitiones, precepta, excommunicationes et alias censuras, prout fuerit expediens cum effectu. Et quod domini cardinales etiam super hoc adsistant domino pape et dicto domino regi omni auxilio, consilio et favore, etiam super refectione et restitutione damnorum facienda per molestantem et iniuriantem domino regi.

Quinto, cum dominus rex et sui sequaces, maxime pro defensione sui status et pro expensis contra infideles, et etiam propter infidelitatem et gesta contra eum per multos ex clericis regni, forte fecerunt contra ecclesias prefatas et clericos, et perceperunt dictorum et earum pecuniis et mobilibus; quod omnia usque nunc facta et qualitercumque et quomodocumque accepta, habita et percepta per ipsum dominum regem et suos sequaces libere et plenissime per dominum papam remittantur et dimittentur, et si cameram apostolicam respicerent, aut ad ipsam quomodolibet pertinuissent; et de eis plenissime liberatio et absolutio concedatur. Si autem camera apostolica aliquid habere debet a dictis prelatis et clericis, contentus est dictus dominus rex, quod domino papa hoc exigat a dictis clericis et prelatis, prout placet ipso domino pape.

(Egykorú másolata a florenczi köztársaság jegyzőkönyvében: Registro d'Istruzioni, Filza N. 4. T. XIV. fol. 143. A florenczi állami levéltárban.)

### XIII. 1410. a u g u s t u s 1.

*XXIII. János pápa bullája, melyben az ó-budai egyetemet megterősíti és azt kiváltságokkal ruházza fel.*

Johannes etc. Ad perpetuam rei memoriam. In supreme dignitatis specula licet immeriti disponente domino constituti ad

universas fidelium regiones nostre vigilante creditas eorumque profectus et commoda, tamquam universalis gregis dominici pastor, commisso nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittetur, extendentes, fidelibus ipsis ad querendum literarum studia, per que divini nominis fideique catholice cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humane conditionis augetur, libenter favores generosos impendimus et opportune commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Sane concernentes, quod inter ceteras felicitates, quas humana mortalitas in hac defluentis et ad exitum continue properantis seculi cursu consequitur, ex superne deitatis munere, illud non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat inextimabile donum scientie claritatem, que ad bene beateque vivendum viam prebet, peritum ab imperito secernit, et simillimum deo reddit. Nam creator omnium deus de summa eterne sue providentie specula cuncta prospiciens gradus et formas hominum, per hec temporalia bona et mala disponens, diversis diversa distribuat, et in hac vita qua temporaliter vivimus hunc humiliet, hunc exaltet, hunc premat, hunc sublevet, hunc dejici patiatur ad infima, hunc ad summa rerum fastigia magnitudine dignitatis attollat, ad hunc tanquam munificus dispensator sinum sue largitatis aperiat, hunc adeo etiam minimis indigere permittat, et infirmis humane consuetudine sensibus, qui rationem perspicue veritatis attingere nequeunt, sepe appareat paratissimus distributor, unicum tamen humane fragilitati presidium elargitur in studio literarum, ut apud studiosos illud in hac tenebrarum valle tempore deficiente remaneat, per quod sibi vitam glorie ac perpetue stabilitatis acquirant, satis longam vitam sibi a domino traditam reputantes, si brevis militia quam collectando cum vitiis duxerint super terram, regni celestis premio et divina retributione pensetur. Et attendentes, quod inter preclara virtutum opera, que tanquam acceptum summo rerum auctori sacrificium eidem per manus fidelium offeruntur, illa maxime divine maiestati placere creduntur, que ad profugandas ignorantie tenebras exhibentur, quantaque commoda tam publica quam privata, spiritualia et temporalia, ex divinis et sacris theologicis facultatis eloquiis et iuribus canonico et civili ac reliquis scientiis mundo proveniunt universo, ex quibus dei cultus augetur, animarum saluti consolitur, humana celestibus connectuntur, insurgentes controversie deciduntur, pax dei et hominis procuratur et inter mortales tranquillitas celestis, licitum ab illicito, equum ab iniquo secernitur, bonis premia, malis supplicia dispensantur, colitur regina virtutum iustitia, que tanquam precipua humani generis gubernatrix ac doctissima vite hominum magistra pulcherrima, et velut iubar mundum irradians sui

luminis claritate, debitam gubernationis exhibit rebus publicis disciplinam humanarum divinarumque rerum et nature prepotentis archana notitia illustratur, ac per illa ecclesia militans, imperia atque regna et unaqueque respublica spiritualibus et temporalibus donis et gratiis decorantur. Et propterea sedes apostolica, rerum spiritualium et temporalium provida ministratrix, ut eo facilius homines ad tam precelsum humane conditionis fastigium acquirendum, quod arduo calle ac sine labore non queritur, et acquisitum in alios transfundendum, nam crescit semper et docentis doctrina multiplicat, ubi decrescit in reliquis cumulus erogatis, quoslibet allicit, excitat et invitat prerogativis apostolicisque favoribus et gratiis allективis, prout in altissimo conspicit, consultius expedire. Cum itaque, sicut nuper pro parte charissimi in Christo filii Sigismundi regis Ungarie illustris fuit nobis expositum, ipse rex non solum ad utilitatem et prosperitatem huiusmodi reipublice ac incolarum regni sui Ungarie, sed etiam aliorum regnum et partium vicinarum laudabiliter intendens, in oppido suo Veterisbude Vesprimiensis diocesis in regno Ungarie predicto consistente, loco utique ad hoc accomodo admodum et idoneo, plurimum desideret fieri et ordinari per sedem apostolicam studium generale, in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, equitas servetur, iudicii crescat ratio, et intellectus hominum augeatur, nos premissa et etiam eximiam fidei et devotionis sinceritatem, qua tam ipse rex, quam predecessores sui, ipsius regni reges ad nos et Romanam ecclesiam gesserunt, prout ipse rex gerere denoscitur, attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod regnum et oppidum ipsa nec non partes predicte scientiarum muneribus amplientur, et viros producant consilii maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus ac diversarum facultatum dignitatibus eruditos, sicque illis scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui documentis. Hiis igitur omnibus et presertim congruitate dicti oppidi, quod ad multiplicanda doctrine semina et germina salutaria producenda inter ceteras civitates et oppida ipsius regni valde ad hoc congruum et accomodum fore dicitur, diligenti excusatione prescitur non solum ad ipsorum regni et oppidi ac circumadiacentium regionum incolarum, sed etiam aliorum, qui propterea de universis mundi partibus ad predictum oppidum confluunt, commodum et proficuum studio paterne sollicitudinis anhelantes devotis dicti regi in hac parte supplicationibus inclusati de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus, et etiam ordinavimus, ut in dicto oppido Veterisbude de cetero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus ibi vigeat, tam in sacre theologie ac iuris canonici et

civilis, necnon medicine et artium quam qualibet licita facultate ; et quod docentes, legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus et indulgentiis, doctoribus et magistris, legentibus et scolaribus et presertim in eadem sacra pagina in Parisiensi, Bononiensi, Oxoniensi Lincolensis diocesis et Coloniensi studiis commorantibus per sedem apostolicam, Romanum imperium aut alios quoscumque concessis, gaudeant et utantur ; quodque illi, qui processu temporis bravum meruerint in illa facultate in qua studuerint, obtinere sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac doctoratus seu magisterii honorem petierint elargiri per doctorem seu doctores, aut magistrum seu magistros illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, preposito ecclesie sancti Petri dicti oppidi pro tempore existenti, quem cancellarium ipsius studii eadem auctoritate perpetuo esse volumus, statuimus et etiam ordinamus, vel prepositura ipsa vacante, illi qui ad hoc per dilectos filios doctores et magistros inibi actu regentes et capitulum predicte ecclesie deputatus fuerit, presententur, idemque prepositus cancellarius, aut deputatus huiusmodi doctoribus et magistris in eadem facultate actu ibidem regentibus convocatis, illos in iis, que circa promovendos ad doctoratus seu magisterii honorem huiusmodi requiruntur, per se vel alium, iuxta modum et ordinem, qui super talibus in predictis Parisiensi, Bononiensi, Oxoniensi et Coloniensi ac aliis generalibus studiis observatur, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, et doctoratus seu magisterii honorem conferat. Illi vero, qui in eodem studio dicti oppidi examinati et approbati ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut iidem extunc absque examine et approbatione alia regendi et docendi tam in oppido predicto, quam in singulis generalibus studiis in quibus voluerint regere vel docere plenam et liberam habeant facultatem, constitutionibus et indultis apostolicis, etiam si de eis ac de verbo ad verbum in nostris literis specialem oporteat fieri mentionem, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulla ergo etc. nostre constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Bononie kalendas Augusti anno primo.

Stephanus C. de mandato.  
Pro Bulla et Registro de Prato.

(Archivio delle Bolle della Dataria. Giovanni XXIII. 1410. Anno I. Lib. 13.  
fol. 74, 75. A laterani palotában.)

Közli: FRAKNÓI VILMOS.